



# A Santa Sé

---

PIUS PP. X

EPISTULA

*EST PROFECTO\**

AD RR. PP. SCRIPTORES EPHEMERIDIS QUAE INSCRIBITUR  
"LA CIVILTÀ CATTOLICA" SEXAGESIMO RECURRENTE  
ANNIVERSARIO EX QUO IPSA EDI COEPTA EST

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.— Est profecto cur vobiscum gaudeamus, anno sexagesimo exeunte, a quo in vulgus edi coeperunt commentaria quibus consribendis egregiam navatis operam. Perspectum enim habemus proposito susceptoque a maioribus consilio vos firmiter fideliterque inhaesisse, et quidquid fuit in vobis virium, id omne in tuendam provehendamque catholicam doctrinam et Apostolicae Sedis iura adserenda alaci contulisse animo. Cui quidem laudi plurimum sane addidere recentiores concertationum plenae disputationes quas felici exitu instituistis adversus grassantes, heu nimium modernistarum doctrinas eisdemque clam vel palam nefarie assentientium, quibus apte formam demitis ad fallendum instructam, et quo scateant obtecto veneno ostenditis perspicue. Vos sane hortaremur ut quod coepistis disceptandi genus hoc acriter urgeatis. Sed experiendo novimus sollertia vestram stimulis minime egere, quum nulla res vos magis accendat quam studium divinae gloriae, cui animo intenditis et ipsam vivitis vitam. Sed ne virtute partae vobis laudi pignus desit paternae Nostrae benevolentiae, Apostolicam benedictionem vobis omnibus, dilecti filii, peramanter in Domino impertimus.

*Datum Romae apud S. Petrum, die II Aprilis MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.*

## PIUS PP. X

---

\*AAS, vol. II (1910), n. 14, pp. 540-541.

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana